



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

Conversio S. Avgvstini. 5. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

*erymarum periret. Vini nimirum faciebat Deo (ut  
 Augustinus postea jam renatus loquebatur) cor  
 contritum & humiliatum viduae casta ac sobria,  
 petentisq; ab eo non aurum & argentum, sed salutem  
 animæ filij sui. Cujus illud primum indicium fuit,  
 quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius  
 viro ore ambrosiâ pasceret, quem proinde non im-  
 meritò ut Angelum Dei Monica diligebat; quan-  
 do verè idem est boni præceptoris, quod Angeli  
 officium, etsi non eadem utriusque dignatio impen-  
 ditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino  
 in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi viâ  
 opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio  
 professa, cum diceret: *Fili, quantum ad me attinet,  
 nullâ re jam delector in hac vitâ: immorari cupie-  
 bam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multò  
 post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad  
 Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis  
 repetimus normam & exemplar matrum omnium;  
 nam hodie pleræque non pereuntibus filiis, sed ad  
 Deum abeuntibus lacrymantur, eosque diligendo  
 occidunt. *Ex operib. S. August.**

*Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores ti-  
 bi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstinere, con-  
 zumeliis: sed nec vultu laudanda est pietas parentum;  
 meretur cacitatis subire supplicium, qui parentum  
 vultus torvo vultu despexerit. S. Hieronym.*

#### CONVERSIO S. AVGVSTINI. 5. Maij.

**H**oc die Monica lacrymæ AVGVSTINVM orbi  
 secundum pepererunt; nam hoc Manichæo-  
 rum erroribus se demum expedit. Ad id pluri-  
 mum, ut dixeramus, momenti mater attulit, que  
 filium

filium pessimum euntem ex Africâ in Italiam usque  
 secuta lacrymis, pro ejus salute tantum non ex-  
 culavit sese. Monstravit certè parentibus, quam  
 parum sit filium mundo peperisse; nisi in spem cæli  
 educetur. Iam duo illi ex Imperatoris aulâ, qui le-  
 stâ Magni Antonii vitâ, nuntium mundo remise-  
 rant, tantum apud AUGUSTINUM potuerunt, ut ex-  
 clamaret: *Quid hoc? quid audisti? surgunt indocti  
 & calum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris volu-  
 ramur in carne & sanguine?* Sub hæc luctanti cum  
 animo suo in conspectum se castitas dedit, ingentè  
 omnium ordinum ac ætatum coronâ cincta, digito-  
 que nunc senes aut viros, nunc pueros aut puellas  
 signans, *Et tu, aiebat, non poteris quod isti aut isti est  
 mox è cælo etiam vox istiusmodi allapsa: Tolle lege.  
 Sustulit ille, legitque: non in comessationibus & e-  
 brietatibus, non in cubilibus & impudicitis, non in  
 contentione & amulatione: sed induimini IESUM  
 CHRISTUM.* Legit inquam hæc, & ex Manichæo  
 Catholicus, ex Rhetore Ecclesiæ Doctor, ex mun-  
 di amatore summo summus contemptor evasit. At  
 nos qui eadem & audimus & legimus, moras moris  
 nequimus, dicitque è cælo nobis ipse Divus, quæ sibi  
 olim dicebat: *An quia præcesserunt, pudet sequi? &  
 non pudet nec saltem sequi? Ex ipsius D. August.*  
*Confess.*

*Si aurum tibi offeram, non mihi dicis: Cras ve-  
 niam; sed jam exigo; nemo differt, nemo excusat.  
 Redemptio anima promittitur. & nemo festinat. S.  
 Amb. in serm. de Iejun. & Eleemos.*

S. ANGELVS CARMELITA. 5. Maii.

**R**osam è spinis habe, ANGELVM, inquam, è  
 parente utroque Iudæo Ierosolymis natum.

Sed